



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

An rapta in bellis sint retinenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

contritionem pertinet, quia contritio est paucus  
et dolor de peccato, et deinceps non committe  
re facta contra conscientiam et mandatum Dei.

**A**n quae tenentur praescrip-  
tione, iuste tenentur?

**R**espondeo, iuste teneri res praescriptione,  
quia auctoritate legis tenentur, quae est ue-  
rius domina rerum, quam priuati, sed ab-  
sit dolus in praescriptione, et concurrant reli-  
qua circumstantiae, de quibus leges præcipiunt,  
ut scilicet bono titulo rem nactus sis.

**A**n rapta in bellis sint  
retinenda.

**R**espondeo, iusta bella gerentes fiunt uerè  
domini corporū et rerum quas capiunt,  
ideo et corpora et res captas iuste te-  
nent. Sunt autem iusta et legitima bella quae su-  
scipiuntur à legitimis potestatibus ad propulsan-  
dam iniustā uim seu latrocinium. Et et alia spe-  
**Iusta bella** cies iusta cum bellum à superiore potestate susci-  
pitur ad puniendum manifestum scelus alicuius  
populi subditi, ut Israēlite mouerunt bellum ad  
puniendam tribum Beniamin, propter stupra-  
tam Leuitae coniugem. Nam Deus constituit ma-  
gistras

## DE DECALOGO. 107

gistratus ut depellant latrocinia & puniant ma-  
nifesta delicta, Rom. 13. Cum autem bellum sit u-  
na ex acerbissimis poenis, quibus Deus punit mun-  
dum, pleraque accident in bellis atrociora, quam  
exacta norma iustitiae postulat. Nec medium in  
his actionibus accuratè constitui potest, sed si  
principalis causa iusta est, bellator sciat mili-  
tiam illam esse licitam, & res occupatas iuste pos-  
sideri. Cæterum bellator si est pius, non suscipiet  
nisi necessaria bella, moderabitur non necessa-  
riam crudelitatem. Denique in multis rebus non  
sumit sibi licentiam usitatam impijs militibus.

## DE REDITIBVS

### Ecclesiasticis.

**E**CCLESIA habet opus aut collationibus, aut  
reditibus, propter tres causas. Primum,  
ad alendos ministros Euangeli.

Secundo, ad scholas conseruandas, ubi sum-  
ptus suppeditandi sunt doctoribus, & aliquibus  
pauperibus scholasticis. Tertio etiā alij uerè paue-  
peres ex publico iuuandi sunt. Propter has tres  
causas opus est ecclesiæ facultatibus, sicut &  
Paulus iubet ministros ab ecclesia ali. Item suppe-  
ditari pauperibus. Et quoniam populus tenuiter  
confert, principum officium est, constituere ec-  
clesijs redditus aut pensiones, sicut etiam significat

Esaias